RECT

ACADEMIAE LI

SACRA PAS

SOLENNI OR

IN AEDE ACADEMIC

D. XIV. APRILIS CI

CELEBRAN

INDICI

TOR
E LIPSIENSIS
PASCHALIA
ORATIONE
DEMICA PAVLINA
ILIS CIƆIƆCCLIV.
BRANDA
DICIT.

Rediuiui Seruatoris, qui ruptis mortis vinculis die poſt
cruentum et contumelioſum funus tertio, Victor e
ſepulchro rediit, glorioſa reſurrectio, praecipuum
eſt et fere vnicum ſalutaris noſtrae ſpei fundamen-
tum. Saluo enim equidem infinito, quod ſanguine pro nobis
fuſo praeſtitit, redemtionis pretio, dubia tamen nobis eſſe po-
tuiſſet praeſtiti ab Eo λύτρου aut ſufficientia aut certitudo, niſi di-
miſſus e carcere ſponſor, offenſo iudici ſatis a ſe eſſe factum, per
receptam, quam pro nobis poſuerat, vitam, orbi teſtatum red-
didiſſet. Atque hoc eſt aureum illud Apoſtoli effatum, quo
Chriſtum propter peccata noſtra morti traditum, *propter iuſti-
tiam noſtram reſurrexiſſe*, id eſt, ad declarandum, ſe, quae pro
nobis praeſtanda in ſe recepiſſet, ex aſſe praeſtitiſſe, atque, ad
nos de conciliata nobis coram tribunali diuino perfectiſſima iu-
ſtitia plane certos reddendos, reuixiſſe, affirmat Rom. IV, 25.
Verum vnde illa *nobis* reſuſcitati Chriſti certitudo? quoue mo-
mento ſatis firmo illam factam eſſe, contra eius aduerſarios, Iu-
daeos aliosque affirmabimus, quibusue nos armis contra ipſas
ſcrupuloſae etiam rationis aggreſſiones muniemus? Nempe, poſt
alia, quae a viris doctis alibi ex inſtituto et diligenter ſunt tra-
dita, quam maxime inuicto argumento hoc, quod ab euentu et
complemento, clariſſimis prophetarum oraculis ad amuſſim re-
ſpondente, deſumtum eſt. Chriſtus enim reſurrexit *ſecundum
ſcripturas* 1 Cor. XV, 4. Chriſtus pronunciabat Phariſaeis de
reſurrectione ſua, argumento *e Scripturis* Ion. II, vlt. deſumto
Matth. XVI, 4. Chriſtus emmaunticis diſcipulis Luc. XXIV, 27.
et apoſtolis v. 46. de reſurrectione ſua et de introitu ad gloriam
exponebat, vaticinia iis *e Moſe et prophetis* de ſe dudum promul-
gata interpretans; atque hoc velut ariete omnem dubitationem,
quae poſt ocularem etiam eius inſpectionem, poſt orale cum eo
colloquium, poſt ipſum manuum contactum remanſerat, concu-
5 tiens et expugnans. Plus igitur in iis de reſurrectionis veritate
conuincendis, poterat vaticiniorum euentus et complementum,
quam ipſi ſenſus, quibus alioqui plurimum et tantum non omnia,
in confirmanda veritate tribuunt, primumque fere locum vin-
dicant philoſophi. Fuiſſe autem diuina vatum effata de Chriſto
quon-

quondam resurrecturo, ad vnguem impleta, Sacrorum βιογρά-φων, qui res ab Eo gestas nobis diuina inspiratione scriptas reliquerunt, vtpote probae notae nulliusque fraudis suspectorum hominum testimonio, quibus sine causa historicam negare fidem, non modo improbum et impudens, sed et a ratione alienum foret, manifestum est. Sicut igitur hoc omnem captum superans resurrectionis Christi mysterium, non minus quam caetera fidei dogmata, ex sola reuelatione patescit: ita eadem nihil etiam dubii, in hac tanta materia relinquit.

Sed quorsum haec nobis omnia impraesentiarum? Scilicet, vt hoc argumento, quandoquidem sacrae vtriusque foederis paginae credendorum et agendorum cynosura, et vnicum consequendae aeternae salutis principium sunt, discamus eas sacrosanctas habere, reuerenter tractare, illotis manibus nunquam aggredi; vtque sedulo caueamus, ne profana mente, et vanae gloriolae venandae aut ostentandi ingenioli ergo illas sollicitemus, nec facile a sana maiorum interpretatione, et antiquis in ecclesia dudum receptis versionibus, nisi graues causae poscant, minime autem omnium, temerario nouaturiendi pruritu, et ventosa, aliquid, quod nondum inauditum fuerit, proferendi ambitione recedamus, atque ad immaturos festinatosque priuatae critices (haec enim foret vituperata ab apostolo *ἰδία ἐπίλυσις*) partus nos deflecti patiamur. Displicuit merito, huius paulini moniti parum memor Doctissimus Belga Aggeus Haitsma, in pago Wier ecclesiastes, multis pie doctis et sacrarum literarum reuerentibus viris. Is enim *in Curis philologico-exegeticis* in Genesin a se superiori anno Franequerae editis multa in sacri hebraei textus simplicitatem ausus est, non sine admonitione dimittendus. Vellent, qui eius existimationi et ingenio fauent, hoc Ei in mentem non venisse, et factum esse dolent; et forsan ipse aliquando, factum dolebit. Libet iam post ea, quae bina scriptione monita sunt, ad caetera pergere; non, quod absit, famae eius imminuendae, cui neutiquam detractum volo, sed nostratium iuuenum studiosorum ergo, vt talia caute legere, et diligenter, antequam assensum praebeant, excutere discant; nec in alium finem haec scripta esse, a lectoribus existimari cupio.

 Con-

Consilium sapientissimi Dei de Adamo lapso, ab arbore vitae auertendo C. III, 22. ita interpretatur: ecce homo fuit sicut vnus ex nobis, vt cognouerit טוב ורע ועתה bonum et malum: *at declinatio* est. פן־ישלח ידו. *Adspice*, emittet manum suam ולקח גם et accipiet *copiam* ex arbore vitae et comedet, וחי לעלם et *pudor in aeternum* erit. Hoc nempe vult Interpres: Deum Trinunum dixisse: ecce homo declinauit per lapsum a nostri similitudine ad cognitionem boni et mali, cuius nunc discrimen magno suo malo didicit: sed praeuideo, illum aliam machinari *declinationem*, scilicet, declinationem ab amissa vita ad illam recuperandam; nempe per comestionem ex arbore vitae. Aspice (ecce) enim, emittet manum suam (i. e. consilium capiet, potestatem exercebit, sibi vindicabit in peculium et proprium p. 106. vt sumat copiam (i. e. vt arbor vitae copiosior euadat, et copia eiusdem, ope plantationis et insertionis nouae, a se augeatur p. 106. ad subinde et saepius imposterum edendum) ex arbore vitae: sed quia hoc consilium eius aduersatur meo decreto de vita ab illo amissa, eademque non nisi per Messiam restituenda, non vero per hanc arborem; hoc ipsi *pudorem aeternum* afferet. Hoc est, quod ex diffusa eius commentatione elicio, non dubitans, quin mentem eius recte assecutus sim. Manifesta hic est ab accentibus secessio; sed accentus, exceptis paucis, quae e re sibi esse putat, retentis, repudiat. p. 51. Hinc nihil aget, qui ei athnachum in ורע et munachum psikatum, vicarium Gereschi, ac proinde distinctiuum e minimis, in voce ועתה, cui tamen vim absolutae sententiae designandae tribuit, obiiciet. Hos enim, si cum valore eorum distinctiuo admitteret, omnis nouae interpretationis, si non lacerationis, neruus caderet. Porro, si etiam ab accentibus, quos tamen ipsemet in voce גם, quia quodammodo pro sua sententia facere videntur, vrget, tantisper secedamus, 1) quis quaeso sensus foret: Adamus *cognouit bonum et malum*, ועתה *at declinatio est?* Quae enim illa *declinatio*, quis illius terminus *a quo*; quis *ad quem?* Nempe vt interpres vult, est *declinatio* ab amissa per lapsum vita, ad recuperandam vitam illam amissam, per comestionem ex arbore vitae. Ergo *declinatio* ei, non sine tropi duritie, est reditus

et

et reuerſio. Quis vero hoc intelligeret, aut ſine propria interpretis explicatione, quam nemo, ne ſagaciſſimus quidem credo ſubodoraturus foret; aut ſine ſatis duro tropo et ellipſi? quibus tamen ſecundum verſiones adhuc receptas et libere cum ſenſu valde commodo fluentes, careri poteſt. Eſt autem in hac voce עתה quando illam a ſignificatione vulgari *nunc*, ad *declinationem* deflectit, mira etiam auctoris inconſtantia. Nam infra c. IV. 11. p. 152. vbi de Caini poſt fratris caedem execratione ſermo eſt, τὸ ארור עתה, et *nunc* maledictus ſis tu, vertit, addita quidem eadem, vt hoc loco, ratione etymologica ab arabicis deſumta, ſed aliter tamen applicata; ſc. quia aduerbiale *nunc*, idem ſit, ac: hac *declinatione rerum*, id eſt, *hoc rerum ſtatu*. Quod quanquam ſatis longe petitum ac durum eſt, quia per hanc rationem τὸ עתה ita amplam nanciſceretur ſignificationem, vt prope omnia, rebus humanis quae eueniunt, et aliquam mutationem inuoluunt, denotare poſſet; quid enim facile cogitari poteſt, quod non mutationem, ſiue, vt interpres vult, aliquod עתה ſeu declinationem aliquam ſibi coniunctam habeat includatque? non tamen apparet, cur non etiam hoc loco, ſalua eadem etymologia licet haud parum peregrina, retinuerit vſitatum illud: et *nunc* et *propterea* et *hoc rerum ſtatu*, ne reſpiciat? etc. Sic enim, quicquid eſſet de etymologia, ſaluus tamen manſiſſet ſenſus, et ſollicitari accentuum valorem opus non fuiſſet. 2) Quid eſt, cur τὸ פֶּן per *aſpice*, modo imperatiuo reddat? quem enim alloquitur Deus? 3) quid eſt; quod גם id eſt *copiam* ex arbore ſumturus eſſet Adamus? Quid 4) חי לעולם *pudor aeternus*, qui ei inde euenturus eſſet? Quam coacta haec omnia, quam intellectu impoſſibilia, niſi ipſomet interprete? at quam expeditae e contrario vulgatae et a nemine adhuc taxatae verſiones? Et 5) quantum denique violentiae in ſignificationibus nouis, voci עתה *declinatio*, גם *copia*, חי *pudor*, obtruſis? Quid facilius, quam, hac etymologiae improba licentia radices fingendi, literas infarciendi, eiiciendi, ad arabiſmum ſine vlla neceſſitate confugiendi, totum codicem in contrarium plane ſenſum rapere? Annon talem interpretandi libertatem recte dixeris illi ſimilem, quam Rabbini appel-

 lant

lant הֲלָצָה *allusionem, lusum*, a rad. לוּץ ridere, vnde לֵץ subsannator; et qua persaepe cum sua דְּרָשָׁה et aliis cabbalisticis ineptiis ad oblectandos suos lectores, et taedii inter lectitandum aut auscultandum abstergendi ergo, vtuntur? quae leuitas a grauitate interpretis sacri merito longissime abesse debet, vtpote quem nihil magis dedecet, quam in vocibus *ludere*. Inprimis τὸ גם, vulgo *etiam*, a sua ordinaria significatione ideo se hoc loco deiicere affirmat, quia cum re praesente non conueniat. Emphasin enim huius voculae, *etiam*, iuxta communem explicationem, eo tendere ait, vt intelligi possit, hominem tunc *nondum*, ex arbore vitae edisse, et *nunc denique* ex hac *etiam* comesurum; quod tamen ab eo ante lapsum factum fuisse improbabile non sit, vtpote cui esus huius arboris non fuerit interdictus. Ergo ob hoc periculum deserendam eius aduerbialem significationem esse, et aliam conuenientiorem quaerendam statuit. Sed quid? si clarissimo exemplo probari possit, τὸ גם, vulgo *etiam*, quoque *adhuc et amplius* et *imposterum*, ac proinde actionem non omnino nouam, sed et actionum aut rerum antea gestarum *continuationem* et repetitionem hebraeis notare? Est illud Gen. VI, 3. vbi Deus de hominibus paulo ante diluuium viuentibus inquit: בשגם הוא בשר quia *etiam hic* homo caro est; quasi vero homines non ante sesqui-mille annos etiam fuissent caro! Sensus igitur est, *adhuc* et *amplius* sunt caro, quales ab ipso lapsu, et dudum antea fuere. Sic Gen. XVI, 13. הֲגַם הלם ראיתי siccine *etiam* hoc loco, Hagar inquit, vidi sensique Deum prouidum! quem nempe etiam antea saepe senserat. Ergo גם non omnino indicat, rem illam, cui additur, antea nondum factam esse, sed quoque, antea factam repeti. Vt taceam, non deesse loca, ex quibus haud obscure colligi possit, hanc particulam גם saepe abundanter poni; quale est in illo fratrum Iosephi, moriatur, qui furtum commisit, וגם אנחנו et nos (nihil enim opus erat addi גם *etiam*) erimus serui. Cum igitur nihil obstet, quo minus locus noster controuersus ita reddatur: ne homo lapsus גם etiam *adhuc* et *imposterum* vti ante lapsum fecit, de arbore vitae edat; sequitur, τὸ גם hoc loco a suo significatu aduerbiali non esse depellendum et in *copiam* commutandum; quia causa

muta-

mutationis ab auctore adducta, eneruata est. Quam autem pro גם *copia*, adducit radicem arabicam جَمّ *copiosum esse*, p. 459. ad C. L, 9. illud non derogat notioni τῷ גם aduerbiali *etiam* et *adhuc*, siue *imposterum*. Quod enim *etiam* atque *etiam*, *adhuc* et *imposterum* sit, id saepe et abundanter et continuo fieri, nihil prohibet quin dici possit. Ergo nihil praesidii nouae versioni ex Arabia. Quod autem denique וחי לעולם et *pudor in aeternum* reddit, hoc omnem relationem ad עץ חיים *arborem vitae*, tollit, ad quam tamen absque omni dubio Deus loquens respicit. Quae vero est τῷ חי *pudoris* cum עץ חיים cum *arbore vitae* conuenientia? Traditur enim in τῷ וחי ratio, cur ab arbore חיים repellendus esset Adamus; quae nulla alia erat, quam, ne illa arbor vitae suam vitae prolongandae virtutem in Adamo exereret, et ne is magno suo malo *longaeuus* fieret; quae ratio ex connexione sine omni difficultate fluens, a *pudore* longe abest. Et quod, ad confirmandam significationem חי *verecundiae* et *pudoris* ad Gen. IX, 3. prouocat, vbi כל רמש חי *omne reptile quod est verecundum*, Noacho in cibum esse debere ait; id et ratio et experientia refutat. Nam nullum animal dici potest verecundum; pertinet enim hoc ad mores et ad vsum rationis, et nulla maior galli gallinacei, volucris valde impudicae et ad venerem procliuis, quam porci est verecundia, quorum altero tamen Iudaeis erat vesci licitum, altero non aeque; nec magis lepus quam ouis est inuerecunda quorum altera vesci fas, altero nefas erat. Tandem, quia حي arabibus notat pudorem, ergone et hebraeis, et quidem necessario?

Verba, quibus c. III, 24. eiectio Adami e paradiso, et quae illi sunt annexa, describitur, omnia ad Adamum pertinere existimat, quem Deus eiecerit et habitare fecerit in prouincia ab oriente Edenis sita, et quidem ita, vt hanc eiectionem effecerit *ope cherubinorum* etc. Cum tamen per accentuationem et commodiorem sensum, bimembre hoc comma sit, quorum alterum per Atnachum in tertia ab initio voce, alterum per Sillucum in fine versus terminatur, praecedentibus eius subdistinctiuis ordinariis, imprimis maiori in הַמִּתְהַפֶּכֶת sc. Sakepho. Accentus

igitur

igitur nullam aliam ferunt interpretationem, quam vulgo receptam; hanc nempe: Et expulit Deus Adamum: et ſtatuit ab orientali plaga horti Cherubinos et flammam gladii ſe vibrantis; ad cuſtodiendum aditum arboris vitae. Sed quoniam noſter interpres accentus, ſicubi eos ſuae ſententiae minus fauentes habet, repudiat: illis interea miſſis, de ſenſu videndum, vter ſit probabilior, et hebraeae dictioni aptior; antiquior ille, an recens ille, nuper in Belgio inuentus? Iam ponamus, recentiorem nihil habere incommodi; an tamen ideo prior ille, aeque non incommodus, deſerendus erat? Hoc igitur ſibi agendum eſſe intelligebat Interpres, vt *illum* laborare, ſuum *praeſtare* oſtenderet. Quid eſt igitur, quod in iſto deſiderat? Nempe hoc imprimis, quod וַיַּשְׁכֵּן *habitare* Deus *fecit*, ad Cherubos non referri poſſit; angelos enim nuſquam dici in loco aliquo *habitare*, aut alicubi *morari* ſolere, neque hoc de iis vllibi legi. Sed, quid ad iſta loca reſpondebit, vbi Angelici Mahanajim Iacobum in reditu e Meſopotamia comitati, circa Eliſam et famulum eius caſtra metati, pios in omnibus viis velut indiuulſo conſortio tueri dicuntur? Annon haec omnia moram aliquam et praeſentiam certo in loco indicant? Aut, ſi τὸ *habitare iuſſit*, durum videtur, ſequamur τοὺς ό, qui, καὶ ἔταξε τὰ χερουβὶμ transferunt. Conſtituit ergo Deus Angelos ad aditum paradiſi, ſiue cum mora, ſiue ſine illa; parum enim hoc ad rem praeſentem. Et ſi, quem tantopere amat, Arabem audimus, radix شَحَنَ praeter varias alias ſignificationes, quas affert Golius Lexico p. 1659. etiam *repoſuit* v. g. gladium in vaginam; *diſpoſuit* v. g. ſe ad fletum; *impleuit* v. g. nauim, quod fit *deponendo*, et *conſtituendo* in eam merces, ſignificat; et deriuatum inde شِحْنَةٌ i. e. turma praeſidiaria, *ſtationem* agens, non parum confirmat. Alterum, quod communi interpretationi obiicit, hoc eſt: neceſſe non fuiſſe ignibus et flammis, quibus Deus vteretur ad excludendum Adamum ab aditu paradiſi; tantam enim impudentiam et ſtupiditatem in eo praeſupponi non poſſe, vt a Deo expulſus de reditu cogitaret, ac proinde ad eum inde auertendum flammis opus eſſet. Verum,

rum,

rum, ſi hoc argumentum procedit, etiam *ope angelorum*, vti au-
ctor vertit, ad Adamum in Haadama habitare faciendum opus
non erat. Multa autem pro ſapientia Dei fiunt, non tam neceſ-
ſitate exigente, quam ἀνεξιχνιάστῳ liberrimi numinis conſilio, cu-
ius cauſae a nobis curioſe non ſunt rimandae. Haec igitur, qui-
bus ad nouandum ſe eſſe commotum ait, ſicut tenuia ſunt: ita,
quae contra militant, tanto ſunt grauiora. Cur enim τὸ וישכן
ad Adamum praeter neceſſitatem referens, nimis confidenter et
τὸ *eum*, et τὸ *Haadama*, quorum neutrum in hebraeo textu eſt,
inſerit? Cur את a nota accuſatiui deflectit, et, ſine neceſſitate,
praepoſitionem facit? cur *Hendiadys* in τῷ *Cherubim et flam-
mam*, repudiat? quod tamen in antiquis linguis, hebraea aeque
ac graeca et latina, vſu receptiſſimum eſt, et huic noſtro loco
quam maxime aptum. Vt enim *arma virumque* i. e. armatum
virum dicit poëta; ita h. l. *Cherubim et ignis*, i. e. Cherubim
ignibus armati, facile concipiuntur. Nihil ergo mutandum
fuiſſe videtur.

Conſuetudinem coniugalem primorum parentum lingua
ſancta C. IV. 1. indicans, vſitata ſibi formula והאדם ידע את אשתו
Adam *cognouit* vxorem ſuam, vtitur. Et ſic interpretes omnes,
ipſi etiam ὁ et Chaldaeus, imo ipſe Spiritus Sanctus per Mat-
thaeum c. I. vlt. (Ioſephus οὐκ ἐγίνωσκε vxorem ſuam Mariam); re-
tinuerunt *cognoſcendi* ſignificatum. Nouus autem interpres hunc
deſerendum et ad arabicum وَضَعَ iisdem cum ידע literis, quod
eſt: *poſuit, depoſuit rem aſſeruandam in loculo* Gol. Lex. p. 2642.
abeundum eſſe cenſet, et hoc adminiculo, nec non vſitata hebraeis
literarum בכלם ellipſi, nitens, rectius ita transferri poſſe ſtatuit:
et *depoſuit* Adamus בחוה *in Euam* vxorem ſuam, (quidnam de-
poſuit in vxorem?) omiſſa nempe per ellipſin, re in eam ad aſſer-
uandum depoſita. Iam ſi nihil eſſet, quod magnopere contra
moneri poſſet; quia tamen *nouum* eſt et ob duplicem ellipſin *du-
rum*; neque omnino *neceſſarium*, vix crediderim multos inuen-
turum eſſe, quibus placeat.

Alterum huius commatis hemiſtichium, Euae de recens
nato filio effatum exponens, קניתי איש את יהוה problemati-
bus exegeticis accenſet. Non ſpernendam quidem eſſe, ait,
illorum ſententiam, qui de Meſſia interpretentur: habeo nunc

Dominatorem (non virum; quia haec appellatio in infantes et pueros non cadat, nec tam de ſexu, quam de conditione potius maritali in ſacris vſurpetur Gen. VII, 2. cum contra puer etiam Ioaſus 2 Chron. XXIII. *rex* et *Dominator* appelletur); ſed et alteram haud aſpernandam, hanc: *acquiſiui in peculium virum ope Iehouae.* Id eſt, ego hac natiuitate filii, איש i. e. *maritum meum*, mihi ob lapſum et ex illo deriuatam in eum turpitudinem adhuc infenſum, קניתי de nouo mihi *conciliaui* et fauentem reddidi; et hoc quidem את יהוה *cum* ſiue *opitulante* Domino p. 124. 125. 126. Hanc tamen poſteriorem alteri priori praeferendam opinatur, ob maiores, quae illam prae hac *poſteriore* vrgeant, difficultates. Et quae ſunt illae? 1) Quia Eua, ſi de Meſſia pronunciaſſet, decepta fuiſſet. R. at ſaepe fallimur iudicando et enunciando, infirmi homines, nec tamen ideo ſequitur, nos illud in mente et ore non habuiſſe, in quo nos erraſſe falſosque fuiſſe, euentus docet. 2) Quia denominatio infantis איש *viri*, inuſitata et nimis dura foret. R. ſed ipſe Interpres Cl. Haitsma hanc duritiem feliciter emolliit, exemplo pueruli Ioaſi, regis et creati et appellati; et multi paruuli a parentibus nomina acceperunt, quae ab infantili aetate longe abſuerunt; vt *Noachus*, quo tempore ita appellabatur, non poterat eſſe conſolator, futurus tamen ſuo tempore erat, Gen. V. 29. 3) Quis credat, Euam filium, quem neſciebat probum fore, an improbum, Iehouam appellaſſe! R. quis idem credidiſſet de parentibus Iudae, illius e duodecim Chriſti comitibus, proditoris potius, quam, quod nomine referebat, *confeſſoris?* et de pluribus id genus aliis, bona quidem ſpe cognominatis, ſed poſtea degenerantibus? vt: de Abſalomo, nihil minus, quam pacis auctore, turbatore potius et ſeditioſo. Et errauit Eua in perſona, quod dudum reſponderunt priſci; errare autem humanum eſt; caeterum a vitio praecipitantiae in tanta cauſa, matrem Euam non liberamus! 4) Non eſt probabile, protoplaſtos tempus Meſſiae adeo propinquum iudicaſſe, vt primo illum partu protinus affuturum credere poſſent. R. neque tamen plane eſt improbabile, quia Dei ad promiſſa implenda promtitudinem animo voluere poterant, vtpote quem ſumme bonum eſſe, gratioſiſſima criminis, quod per eſum fructus vetiti admiſerant, condonatione experti fuerant, ac proinde optime de Ipſo, deque accelerando

promiſſi

promissi Eius, *quo* nasciturum mulieris semen in solamen miserorum pollicitus fuerat, complemento sperare poterant. Sed videamus, annon etiam altera illa problematis sententia, per quam קָנִיתִי idem esse dicit, quod, *conciliaui mihi meum virum*, aliquid incommodi habeat, et annon aliquanto forte plus? Nempe 1) nititur incertissimo et valde dubio supposito de Adami in Euam rancore ac odio, post lapsum, quo ipsi ab vxore seducto felicitas primitiua perierat, in eam accensi, deque cognominatione eius חַוָּה, *a pudore* desumta, p. 96. seq. R. Sed hoc quis facile credat? et relegi possunt cui lubet, quae supra suo loco ad hoc fuerunt responsa. 2) Sine dubio maritum Eua sibi dudum blandimentis variis conciliauerat; certe tamen non per natiuitatem denique filii, sed potius per familiare thori consortium. Et si quis noua methodo vellet vti, hanc conciliationem iam dudum, et ante vteri Euae gestationem, ac proinde ante Caini natiuitatem, non demum die natiuitatis illius, factam fuisse, ex arabico facillime conficeret. Quod enim textus hebraeus de Adamo praedicat, quod ידע *cognouerit* vxorem suam, id facillime ex arabico *ad conciliationem Adami*, qua cum coniuge *in gratiam rediit*, trahi posset. Nam τὸ وَدَعَ suis literis hebraeo ידע respondens, est etiam in Coniug. III. et VII. *pacem fecit, in gratiam rediit.* Et hinc est وَدِيعٌ *mansuetus*, *placidus*, et دَعَةٌ *mansuetudo*, *tranquillitas*, et مُتَّدِعٌ *quietus*. v. Gol. l. c. p. 2644. Quid ergo prohiberet, ita reddere: et Adam conciliatus fuit Euae, et in gratiam cum ea rediit; antequam conceperat; ותהר *et tunc* concepit et peperit? Argumentor κατ' ἄνθρωπον, et methodo doctissimi aduersarii. 3) Maritus dudum illi factus erat *peculium*, (si τὸ קנה tantopere vrget) nempe in prima desponsatione, statim post factam e costa mariti formationem, interprete ipsa sacra historia Gen. II, 24. siue ista verba Dei sint, siue Mosis θεοπνέυστου, non denique per nouam conciliationem perque partum filii *acquirendus*. Nam litigia coniugum non tollunt alterutrius *peculium* aut propriam possessionem; sed mutuum saltim ad tempus amorem; nec conciliatio eorum restituit *peculium*, sed charitatem et familiare con-

 sortium

ſortium reſtaurat. 4) Quae tanta res eſt, offenſas coniugum componi, et ab iis in mutuam gratiam rediri, vt ad illam ſpecialiſſima *ope Iehouae* opus eſſe, dici oporteat? Annon hoc eſt *humanitatis*, et toto die etiam inter irregenitos, peculiaris Dei gratiae expertes, fieri aſſolet? Iudicet nunc Interpres, vtra problematis pars magis laboret? nouane? an illa adhuc plurimorum antiquorum aeque ac recentiorum tum metaphraſtarum tum exegetarum iudicio approbata?

Ad Cap. IV, 2. vbi Abel paſtor gregis, et Cain terrae cultor dicitur fuiſſe, etymologiam nominum horum propriorum a vitae genere, quod vterque elegit, deriuat. Et Cainum quidem inde dictum putat, quia arabicum, vnde deducit, قَوِيَ ſit, *robore et potentia valere*, ac proinde tali conueniat, qui manibus operetur, quales ſint agricolae. Res tanti non eſt, fateor; ſed nihil tamen aliud haec ſeceſſio a communi ſententia grammaticorum circa hanc Caini denominationem habet, quam nouitatem. Eſſe enim a קנה hanc vocem, ſatis clare ex v. 1. huius capitis apparet. Sed ſine dubio vterque a parentibus iam dudum et in prima infantia, cum paruulorum indolem nondum cognitam haberent, appellati fuerunt, non autem denique, poſtquam certum vitae genus eligebant, vnde nomen nanciſcerentur. Excipit: 1) *το* קניתי Euae, v. 1. pertinere ad maritum Adamum, quem ſibi nato hoc filio קָנְתָה recuperarit et reconciliauerit. Si enim ad filium reſpexiſſet, ſcribendum ait fuiſſe a ſacro hiſtorico, non, ותאמר et *dixit*, ſed potius ותקרא *vocauit* nomen filii p. 126. R. 1) maritus dudum ante natiuitatem Caini, vxori erat conciliatus, vt paulo ante obſeruatum; 2) neceſſitatem τȣ̃ ותקרא pro ותאמר euertunt alia loca biblica eiusdem materiae Gen. XXVIII, 33, 34, 35. *peperit Lea filios et dixit* etc. Quod autem in his locis ſequitur: et *vocauit nomen* eorum, id hocce noſtro loco, vtpote commemoratu non neceſſarium, quia ſubintellectu facillimum, omiſſum eſt. 2) Obſtat ei, quod forma קין non a קנה ſed a קן eſſe poſſit, ו in י mutato. R. neceſſe non eſt, vt propter literam mediam י in קין ad radicem mediae ו confugiatur. Vt enim ab עלה fit עולה holocauſtum, ita nil prohibet, etiam literam י quae literae ו eſt analoga, inter duas priores radicales τȣ̃ קנה inſertam eſſe. Sic vulgo a r. שלה deriuant,

שילה,

שִׁילֹה, Gen. XLIX, 10. litera י inter duas pariter radicales posita. Et consulat modo suum arabem, qui v. g. a شَتَهَ *percussit in natibus*, hebraeam vocem שֵׁת Ies. XX, 4. contracte pro שֵׁית vti אֵין pro אַיִן *) si non vere, saltim ex methodo noui interpretis deriuari, probabile facit; idque non minus forte commode, quam alii ab hebraeo שׁוּת ponere. Et tandem, quid impedit, quo minus קַיִן ab ar. قَنَا possedit, eiusque coniug. III. قَانَا, elif in י mutato, e lege literarum analogarum, facile inuicem permutabilium, deduci possit? Aut haec admittet interpres, aut si neget, sua vineta caedet, et omne robur suo Arabi adimet, quo tamen in suis nouis exegesibus imprimis nititur.

Alter autem ex Adamo filius הֶבֶל ei vi etymi *pastor* est; vnde? quia nempe arabicum أَبَلَ *pascere* camelos est. Sed cum idem illud أَبَّلَ Coniug II. etiam sit *lugere*, cur non in hoc potius, quam in illo sedem denominationis quaerit? Scilicet, quia hoc sui est inuenti et recens; illud dudum receptum, et tempori, quo Hebel nominabatur, conuenientius. Causam enim habebant parentes tunc temporis, suam vanitatem, quae est in voce הֶבֶל id est, calamitatem et miseram generis humani sortem *deflendi*, et ab hac *miseria* prolem suam denominandi, a futuro autem vitae genere illum appellandi, nullam: cum prouidere non possent, quamnam vitae sortem esset quondam electurus. Ergo nimia est a magis diluta et probabiliori etymologia discedendi, in nouo interprete fiducia, quam nescio an multi sint probaturi.

Verba Cap. IV. commatis 4, secundum simplicitatem fontium hebraeorum, Habelem obtulisse etiam ipsum de primoge-

nitis

*) Ita קַיִץ et קֵץ vtrumque a קצה excidit, esse potest, quia alias non apparet, cur Deus קַיִץ fruges aestiuas voluerit symbolum τῦ קֵץ siue *finis* esse, Amosi VIII, 1. et a בנה est בן probabiliter contracte pro בַּיִן, et בַּיִת forte pro בַּיְנַת vnde plurale dageschatum בָּתִּים ob hanc contractionem. Et videat interpres, an non arabicum بَانٍ structor, et foemin. بَانِيَةٌ hanc etymologiam confirmet, a r. بَنَا Gol. Lex. p. 331. Nam etiam in his, inter duos priores radicales elif est insertum, literae iod analogum. Vtor argumentis Hatsmaeanis, non meis, vtpote qui, si ipsi lubuisset, non nouaturire sed veterum vestigia premere, et cum iis τὸ קין a קנה deruare, id his viis quam facillime effecturus, sibique applausurus fuisset.

nitis gregis sui, affirmantia, ita vertit: והבל הביא Et Abel obtulit (donum); גם־הוא copiam ipse (obtulit) ex primogenitis. Non dubito equidem, quin haec allegasse, sit refutasse; sed videndum tamen, quid pro nouitate sua afferat. Accentus, quos hic iterum exulare iubet, coniungunt has quatuor voces in vnam enunciationem; est enim coniunctiuus Kadma in הביא; Interpres autem resoluit in duas; sensu sane haud commodo. Nam per illius interpretationem 1) particula deest, antecedentem Caini actionem cum Abelica connectens, cuius omissio dura admodum et praeter morem foret; quae autem rectius, et textui conuenientius in גם, non; *copia*, sed potius *etiam*, deprehenditur. 2) Duplicem in quatuor voculis ellipsin, et proinde duplex supplementum, nulla plane necessitate cogente, quis facile probabit? 3) גם pro *copia*, supponitur, vt supra monitum, sine fundamento; et cum, si substantiuum foret, per ָ esset scribendum, pro eo noua interpretatio substituit patach, et hoc quidem, vt vult interpres, ob descendentem ad proximam vocem accentum, propter makkeph; cum tamen illi alias accentus nihil sint, nec makkeph ex grammaticorum vulgari scito eoque exemplis confirmato, vocales non omnes longas; sed tantum ֵ et ֹ in oppositas breues, non aeque ָ in ַ mutare soleat. 4) Quaenam est illa *copia* primogenitorum, quam obtulit? annon το גם *copia* hoc in textu plane foret otiosum? si enim Abel de *primogenitis* obtulit, iam intelligitur, non illum vnam alteramue, sed successiue *plures* obtulisse de grege victimas, Ergo *copia* iam iam in *primogenitis*, latet. Et illa πλείων Abelis θυσία Ebr. XI, 4. non propter *copiam*, sed propter *dignitatem* e fide in Deum profectam, id est, non quod copiosior, sed quod praestantior, et quidem πίστει, erat, πλείων appellatur. Ergo multo rectius, particula גם *paritatem* actionum Caini et Abelis, non *copiam* indicat, et ostendit, Abelem non minus quam Cainum, sed itidem s. aeque, vt ipse fecerit, suum etiam מִנְחָה s. sacrum obtulisse. Sic sensus est perspicuus, indoli sermonis conueniens, non coactus, in vsitatam vocum significationem non iniquus; cum e contrario noua explicatio dura sit et contorta.

Particulam sermonis, quo Deus Cainum alloquitur לפתח חטאת רבץ *ad fores peccatum cubat*, ita vult accipi, *ad victoriam peccati cuba;* sed iterum praeter valorem accentus distinctiui tiph-

tiphchae in לפתח qui prohibet, illam vocem eſſe ſtatus conſtructi, quod tamen vult nouella verſio. Sed ad rem ipſam. A τῷ פתח facit initium, quod alias vulgari vſu, *porta* eſt; ſed Noſtro eſt victoria; cur? quia victoribus expugnatae vrbis ianuae recludantur. Egregie! Item, quia ſemel iterumque arabicum فَتْحٌ certis in locis arabicorum ſcriptorum neceſſario, ſic poſcente contextu, ſit *victoria* E. etiam hoc loco. Sed quae conſequentia a particulari ad vniuerſale, aut ab alio ad aliud particulare? nulla imprimis aut neceſſitate, aut melioris ſenſus ratione ſuadente. Item illuſtrat inde, quod arabicum فَتَحَ etiam ſit, *ius dixit*, litem diiudicando diremit; quoniam hac ratione referentur portae iuſtitiae, vt inde aut *poena* reo et cauſa cadenti, aut *victoria* parti ſtanti prodeat. Hinc etiam arabicum فُتَاحٌ *poenam* ait eſſe. Largior iam interea, quod aduerſarius ſumit. Sed quaero nunc de ſenſu. Qualis quaeſo foret ille, ſi expendamus proxime antecedentia; nempe quid quaeſo foret? ואם לא תיטיב: *Si autem non fueris probus, ad victoriam peccati cuba?* Quanta incertitudo in τῷ *peccati?* An illud erit ſubiectum vincens, an obiectum vincendum? An, vt tu vincas peccatum, cuba; an: vt vincaris a peccato, cuba, ſiue: et, ſi non fueris probus, tunc ſecurus, vtque vincaris, veluti cubantia poſt paſtum pecora, cubabis? Magna certe ambiguitas, ex tiphcha in פתח neglecto. Annon, per accentum tiphcham, rectius ita: Si non fueris probus, ad victoriam *peccatum cubat;* i. e. vt victoriam peccatum a te reportet, excubat, aut, *in poenam* tibi inferendam et tibi demerendam cubat. Et ſic quidem, ſuppoſita etiam tantisper longe petita ſignificatione פתח pro *victoria* et *poena*, ſenſus tamen vterque aut alteruter, multo commodior foret, quam ſi tum accentus negligatur, tum ſtatus conſtructus in פתח fingatur. Sed vt, quid ſibi velit, intelligatur, ipſe mentem ſuam ita declarat: Si non bene egeris, cuba et quieſce ad peccati victoriam, i. e. *quietem quaere in vincendo peccato.* Hoc quis credat? hoc quis intelligat? haec cui ſatis cohaerere et inuicem reſpondere, ſine mira vocum deflexione et variis figuris, videbuntur? Verum nihil ſane cauſae eſt, cur recepta hebraeis notio τοῦ פתח *ianuae* deſeratur; cum prouerbiale hoc: *ad oſtium cubare*, conuenientiſſimum ſit peccato, per aliquam proſopopoeiam, ad Caini

ianuam,

ianuam, in insidiis excubanti, et securum
gressuro. Quod autem פתח in significati
blici ait, in eo vero vehementer errare
contextu et scopo auctorum sacrorum lo
2. allegat: super monte elato extollite s
num, ויבואו פתחי נדיבים *et intrabunt vic*
vt ipse vult, id est, vt *intrent vincentes*
allatus, prorsus a circumstantiis textus
inuitate signo erecto, nec non voce
tereuntes, vt affluant ad *fores tribunor*
fiteantur, cum iis contra babyloniam
explicatio, depascent terram Nimrod
pres, contra grammaticam impingit. I
enim ad antecedens נְסִיכִים *principes ;*
huic loco enallagen generis largiri vell
tius *gladii* forent, propter antecedens
בחרב *gladio.* Est enim absque dubio,
δύναμία in vtroque membro, et proinde
חֶרֶב. Esse autem פתחים gladios ab *ap*
testimonium ex Ps. LV, 22. verba eo
dii. Ergo interpres, etiam in hocce l
menti. Sed ne de *gladiis* etiam hoc l
loci Michae hic est: Depascent hostes
cum portis siue vrbibus illius terrae,
subiecto. Ergo nihil praesidii in he
citatis *portarum* significatio ita est con
habere non possit. Denique, vt et h
peratiuum *cuba* conuertit, ex sua hypo
quem textui inferre animo conceperat
tur, diluta, etiam dura haec enallage

Caeterum quicquid sit de פֶּתַח, inc
cati Caini *victoria:* excitare tamen n
peccati et mortis O. M. qui rediuiuus
tam simul sua resurrectione nobis re
mo beneficio meditandi occasionem h
dicturus crastino paschatos festo perexi
STIANVS SCHMIDIVS, Lipsie
natore Grauissimo; Auo autem, de h
promerito, IOANNE, digno perpetua
autem is falsas profanarum gentium d
quem alii negarunt, alii inepte finxeru
mos Comites, Vtriusque Reipublicae
lissimosque Commilitones, officiose et
schatos CIↃIↃCCLIV.

LIPSIAE EX OFFICIN

i, et securum Cainum quacunque oblata occasione ag-
in significatione *victoriae*, hebraeum esse et vsus bi-
enter errare mihi videtur, et in locis a se allegatis a
sacrorum longissime recedere. Quod enim Ies. XIII,
o extollite signum, attolite vocem ad eos, agitate ma-
intrabunt victoriae principum, abstracto pro concreto,
nt vincentes principes; illius loci sensus ab interprete
antiis textus alienus est, planeque alius; nempe hic:
non voce alta et elata, manuumque nutu, prae-
sores tribunorum militarium, ibique nomina sua pro-
babyloniam militatum abituri. Michae autem V, 5.
m Nimrod בפתחיה *cum victoriis suis*, vt statuit inter-
impingit. Dicendum enim fuisset בְּפַתְחֵיהֶם spectat
בְּ *principes*; aut si etiam, licet admodum duram,
is largiri vellemus, non tamen ideo *victoriae* sed po-
antecedens membrum, vbi est: depascent Assurem
sque dubio, vti plerumque in stilo prophetico, ἰσο-
, et proinde τὸ פְּתָחִים commodissime respondebit τῷ
ladios ab *aperiendo* seu *euaginando* dictos, clarum est
2. verba eorum emollita sunt פְּתִיחוֹת *euaginati gla-*
m in hocce loco nihil plane pro *victoria* habet argu-
etiam hoc loco cogitare necesse erit. Sensus enim
scent hostes terram Assyriae ense, et terram Nimrod
ius terrae, per metonymiam adiuncti vrbium, pro
aesidii in hebraeo est, pro victoria; quoniam locis
o ita est conueniens, vt alia, sine contorsione, locum
que, vt et hoc tangam, quod רֹבֵץ participium in im-
ex sua hypothesi facit, vt nempe respondeat sensui,
conceperat; qua nunc, quantum satis est, vt vide-
ec enallage cessat.

t de פֶּתַח, incerta illa Clarissimi Haitsma in causa pec-
re tamen nos potest ad cogitandum de VICTORE
qui rediuiuus, reditum in vitam nobis peperit, et bea-
ne nobis resurrectionem meruit. De hoc sum-
ccasionem honoratissimis auditoribus suis praebebit
festo pereximius et nobilissimus iuuenis IO. CHRI-
IVS, Lipsiensis, Patre Consultissimo Eodemque Se-
autem, de hac academia dum in viuis erat, egregie
no perpetua memoria Viro, prognatus. Perstringet
n gentium de reditu mortuorum in vitam opiniones,
epte finxerunt. Quem vt beneuole audiant, Illustrissi-
Reipublicae Proceres, nec non Generosissimos Nobi-
officiose et peramanter rogamus. P. P. pridie Pa-

OFFICINA LANGENHEMIANA.